

DE NONNULLIS VETERIS TESTAMENTI
PROPHETARUM LOCIS AD SACRIFICIA
SPECTANTIBUS

DISSERTATIO

QUAM IN MEMORIAM DIEI QUO ANTE HOS NONAGINTA ANNOS

UNIVERSITAS LITTERARUM DORPATENSIS CONDITA EST

56847

CONSCRIPSIT

WILHELMUS VOLCK,

PHILOS. ET THEOL. DR., LINGUARUM SEMITICARUM PROFESSOR
ORDINARIUS THEOLOGORUM ORDINI ADSCRIPTUS.

DORPATI LIVONORUM

C. MATTIESEN TYPIS DESCRIPSIT.

MDCCCLXXXIII.


Печатано по постановленію Совѣта Императорскаго Дерптскаго Уни-
верситета.

Дерптѣ, 31 декабря 1892 г.

Ректоръ : А. Будиловичъ.

№ 1962.

Est. A



25438

Qui eas Pentateuchi partes quibus leges ad ritus sacrificos pertinentes continentur post exsilio Babylonici tempora in lucem prolatas esse contendunt ¹⁾, cum alia argumenta, tum id afferunt, quod qui ante exsilium fuerint prophetae nullam illarum legum habuerint notitiam. Nam si eas cognitae habuissent: fierine potuisse ut sacrificia contemptim tractarent? Nota sunt illa quae ad probandam hanc opinionem appellantur prophetarum dicta, ad quae pertractanda si jam aggrediar, non tam nova proferre, quam ea complecti et dijudicare mihi in animo est quae adhuc de his locis in utramque partem disputata sunt. Neque enim desunt qui illam opinionem improbandam esse existiment.

Et initium quidem faciam ab interpretando loco Am. 5, Am 5, 21 ss. 21 ss., quem uberrime *S m e n d i u s* ²⁾ tractavit. Inde a versu 18. propheta in eos invehitur, qui, quamquam turpiter viventes, divino auxilio confidere posse sibi videntur illucescente die Jehovae ³⁾, quem desiderant. Sed non est, inquit propheta, quod illum diem summopere petant; neque enim salutem afferet expectatam, sed certam perniciem. Sperant quidem Deum propter ampla et opima quae offerant sacrificia, propter festos quos in ejus honorem agant dies in gratia ipsos habiturum. Sed vehementer errant. Nam

1) *Wellhausen*, *Proleg.* p. 423.

2) *Moses apud prophetas* (Halis Saxonum a. 1875) p. 23 ss.

3) Quia latine mihi scribendum erat, hac divini nominis forma, ut quae declinari possit, usus sum.

repudiat Deus victimas quibus eum placare student, aversatur quae ei dicunt cantica, respuit organorum strepitum. Haec propheta inde a v. 18. usque ad v. 23. Jam si v. 24. addit רגל רגל, interpretes quid haec verba sibi velint dissentiant. Sunt qui divinum iudicium significari existiment, quod anni violento comparetur fluctibus sacrificia carminumque sonitum obruenti¹⁾. Sed haec interpretatio pugnat cum versu antecedente, quo Deus canticorum strepitum ab ipso removere Israelitas jubet. Cui imperio si obtemperant, non est quod divini iudicii fluctibus hauriantur²⁾. Versum septimum ac quintum decimum respicienti non dubium erit quin propheta audientes moneat, ut exercendae justitiae operam dent summamque in jure reddendo adhibeant diligentiam³⁾, ita quidem ut jus et justitia quoqueversus sese diffundant rivi que perennis instar durent permaneatque. Sed jam oritur quaestio, quae sit verborum quae sequuntur sententia, interrogationem dico הַבְּחִיטִים רַגְלֵי? B r e d e n k a m p i u s⁴⁾ aequales commonefieri arbitratur, quemadmodum majores qui apud Kadesch adversus Deum fremuerint, eo puniti sint, quod per deserta migrantibus sacrificia offerre non licuerit, sed Deorum fictorum simulacra fuerint gestanda (v. 26), ita Deum nunc quoque populum in eam conditionem redacturum esse, ut sacra jaceant. Sed nusquam in veteris testamenti libris tempora quibus Israelitae in desertis degerunt ea fuisse iudicantur, quibus perfidiae poenas ita dederint, ut sacris arcerentur et idolorum cultu implicarentur. Contraria B r e d e n k a m p i i sententiae H o f f m a n n i⁵⁾ interpretatio est; verum et ipsa improbanda. Nam si hoc di-

1) Theod. Mops, Theodrt., Cyr., Kimchi, Keil, Bredenkamp (*Gesetz u. Propheten* p. 84), Hitzig, Koenig (*Hauptprobl.* p. 9), alii.

2) Koehler (*Lehrb. d. bibl. Gesch. A. T. II*, 2 p. 56 s.).

3) Vatabl., Tarn., Drus., Grot., Ew., Rosenm., Maur., Koehl., Orelli, alii.

4) l. c. p. 85.

5) *Ztschr. f. d. ATliche Wissensch.* 1883, p. 112 s.

cere prophetam contendit, populum, cum quadraginta illis annis, quibus in desertis fuerit, Jehovahae immolaret, simulacra non gestasse, qualia jam gestet, hanc sententiam salva enunciatorum ratione quae inter versus 25. et 26. intercedit ex prophetae verbis elici posse nego. Accedit quod, locos Dt. 9, 7; Num. 25, 1—3; Lev. 17, 7; Ez. 20, 18—26 si respexeris, Hoffmanno astipulari dubitabis prophetam vv. 25.—26. id agere dicenti, ut annos quibus Israelitae per deserta migrarunt, eos fuisse ostendat quibus Jehovahae cultus viguisset.

Hengstenbergius ¹⁾ et Vaihingerus ²⁾ prophetam vv. 25.—27. hoc spectare contendunt, ut exemplo supplicii majorum aequales terreat. Quemadmodum enim, qui per deserta iter fecerint Israelitae, terram promissam non intrarint, ita ipsos, cum a Deo desciverint, extorres solo patrio fore. At si hoc propheta diceret, jure desiderares poenarum quas illi Israelitae luerunt mentionem. Keilius cum Calvino faciens vv. 25. et 26. artissime conjungendos et ita intelligendos ait, ut propheta aequales divino supplicio dignos esse hoc argumento probet, quod Israelitae inde ab omni tempore perfide egerint ne illis quidem quadraginta annis quibus in desertis fuerint Jehovahae sacris faciundis servientes sed fictorum deorum indulgentes venerationi. Ut cetera taceam, quae huic interpretationi obstant: si propheta Deum sacra Israelitarum aversari et justitiam ab eis flagitare modo dixit: nonne sibi contradiceret populum per deserta migrantem accusans, quod sibi non immolassent? Neque etiam v. 25. cum v. 26. ita conjungi potest, ut Israelitae in deserto non Jehovahae sed diis quos secum duxerint commenticiis immolasse dicantur. Nam hanc sententiam si exprimere propheta voluisset, non solum

1) *Beiträge zur Einl. ins A. T.* II, p. 109.

2) Merx, *Archiv f. wissenschaftl. Erforsch. d. A. T.* I, p. 486 ss.

scribere debebat הַלֵּי הַגִּשְׁחֹם (1). S m e n d i u s qui verbo יִנְשֹׂאֲהֶם futura, non praeterita (2) significari recte dicitur vertens ,ergo tolletis', praeter notum illud רַהֲיָה ,similitudines' ignotas esse ait, quae cum nostro loco prorsus congruant, cum ,plerumque in hujusmodi enunciationibus הַיָּה sequente participio inveniatur'. Sed sunt ,similitudines'. Neque enim solum locus Jes. 6, 5 nostro simillimus: ,Tetigit hoc labia tua וְרָסַר et recedet' (*so wird nun weichen*'), sed etiam Hos. 8, 14: ,Auxit Juda urbes munitas, ergo mittam (וְשִׁלַּחְתִּי) etc. (3).

Sermonis nexu alia atque eae quas recensuimus interpretatio requiritur. Aequales quos propheta compellat sacris opimis et amplis se Deum placare posse sibi persuaserant. Sed errant eum clementia usurum opinantes propter sacrificia, quasi sine eis omnino esse non possit. Neque enim indiget eis. Quod demonstraturus propheta audientibus illa tempora in memoriam revocat, quibus majores per deserta iter fecerint, ecquid tum Deo immolarint interrogans. Facere non possunt quin negent. Illa enim tempestate ritus sacrificii jacebant, sacra, etiamsi non prorsus cessabant, tamen parvissime fiebant. Ex loco Num. 28, 6 patet, vel holocaustum quotidianum (עֹלֹת תָּמִיד), postquam ad montem Sinaiticum oblatum est, postea offerri desiisse. Neque id mirum rerum conditionem, qualis tunc fuerit, consideranti. Fertur unde sumerent, cum fruges deessent? Victimam unde offerrent, cum non satis esset pecorum (4)? Jam si illis temporibus Deus maximis beneficiis (5) populum affecit perexiguo sacrificiorum

1) Smend l. c. p. 27; Graf (Merx, *Archiv* II, p. 93 ss.).

2) Rosenm., Maur., Vatke (*Bibl. Theol.*), Hitz., Keil, Merx (Schenkel, *Bibell.* I, p. 517), Bredenkamp, alii.

3) Gesenius-Kautzsch, *Hebr. Gramm.* p. 321.

4) Smend l. c. p. 34; *Studd. u. Krit.* 1876, p. 659; Riehm, *Bibl. H. W.* II, p. 1115 col. 2.

5) Dt. 8, 2 ss.

apparatu: quî persuadere sibi possunt prophetae aequales eum indigere sacrificiis iisque amplis et opimis, quî opinari se sacris quibus operentur effecturos, ut clementia utatur atque propitius sit? Immo deorum quos adorant simulacra tollentes portantesque¹⁾ in exsilium eijciuntur. De nominibus idolorum quae in versu 26. leguntur agere supersedeo. Id unum moneo, ספיר — nam ita legendum — et יָיָן (assy. *kaiwânu*) Saturni Assyriorum nomina esse³⁾. Quamquam jam Mosaica aetate Israelitas astrorum cultui deditos fuisse non negarim, tamen, cum nomina ad Assyriorum religiones spectent, quarum notitia jam ante Ahasum regem ad Ephraimitas manavit, prophetam aequalium idololatriam corripuisse nonne verisimillimum?

Quae omnia siquidem recte disputavimus: num prophetam sacrificia omnino repudiasset dixeris? Minime vero. Si repudiasset, quae v. 25. scripsit, scribere non potuisset. Illorum dumtaxat sacra aversatur, qui Deum illis indigere rati, dum turpiter vivunt et idolorum simul venerationi indulgent, victimis divinam iram placare posse sibi videntur. Hi quid aliud monendi sunt quam quod eos monet, ut vitam ad divinam voluntatem conforment justitiae probitatisque studentes? Wellhausenii²⁾ igitur sententia prophetam ejusque aequales rituum sacrificorum originem neque ad Mosem neque ad Jehovam retulisse dicentis quomodo hoc nostro loco fulciri possit, equidem non video. Antiquitas leges fuisse ad sacra spectantes eaque ad divinae voluntatis normam exaequantibus prophetarum verba non obstant quominus teneamus. Quid quod, quae protulit aequalium simulatam pietatem increpans, eum proferre potuisse contendo, etsi Pentateuchi leges quae in

1) Cf. quae ad probandam hanc interpretationem disputavit Schraderus (*Theol. Studd. u. Krit.* 1874 p. 324 ss.).

2) Schrader, *Die Keilinschriften u. das alte Test.* p. 442.

3) Wellhausen, *Proleg.* p. 58 s. Idem nulla ratione verum vicissimum sextum delendum esse existimat (cf. *Skizzen u. Vorarbeiten*, 5. H., p. 83)

libro Levitici continentur cognitae habuit comprobavitque 1).

Antequam progrediamur ad locum Mi. 6, 6 ss., quo et ipso nititur Wellhausenius divina lege quidquam de sacrificiis offerendis praecipere negans, nonnulla quae ad prophetae verba recte intelligenda valere videantur, praefabor. Notum est illud Samuelis Saulum regem, postquam Amalekitis devictis contra divinum imperium fecit, increpantis 2): „Num Jehova holocaustis victimisque aequae delectatur quam audiendo vocem Jehovae? Ecce audire melius victimis, auscultare melius adipe arietum.“ Quibus verbis Samuelem sacrificia non prorsus repudiare apparet; neque enim Deum holocaustis victimisque omnino non gaudere ait, sed immolationem cum divinae voluntatis obsequio comparans hoc illa superius declarat 3), „quasi dicat 4) summam divini cultus in oboedientia esse positam, a qua sit faciendum initium; sacrificia vero esse veluti appendices tantum, quarum non est tanta vis quam oboedientiae divinatorum praeceptorum.“ Inde efficitur sacra propensio immolantis ad Deum voluntate destituta nullius pretii esse, quin etiam Deo displicere. In eandem sententiam loquuntur psalmorum auctores, qui et ipsi sacrificia non aspernantur, siquidem sunt זָבַחַי אֶרֶק i. e. animi habitu divinae voluntati consentaneo oblata 5). Quare si modo mentem Deo deditam devotamque ei prae sacrificiis gratam acceptamque esse asseverant 6), modo de sacrificiis ita verba faciunt, ut in eis veram Dei venerationem cerni appareat 7): non pugnantia loquuntur sed diversam de una eademque re judicandi ineunt rationem. Illic enim Deum

1) cf. Marti (*Jahrb. f. prot. Theol.* VI, p. 317 s.).

2) 1 Sam. 15, 22.

3) Keil, *Bibl. Comm. üb. d. AT.* II, p. 125.

4) Ita Calvinus.

5) Ps. 4, 6 (cf. 51, 21; Dt. 33, 19).

6) Ps. 40, 7; 50, 8 ss.

7) Ps. 66, 13. 15.

non desiderare meras ceremonias et ritus, sed animum sibi deditum et sinceræ pietatis plenum declarant; hic de iis sacris, quibus grata divinorum beneficiorum memoria vel ingenua peccatorum confessio exprimitur, ut Deo acceptis agunt. Rebus ita se habentibus profecto non mirabere, quod, qui ipsis sacrificiis Deo satisfieri posse opinantur a vera pietate remoti, postulanda hac pietate adeo divinam voluntatem contineri illi quidem docentur, ut comparata ad illam sacra nolit¹⁾. Ejusmodi dictis qui ea prorsus rejici contenderet, mirum quantum erraret.

Jam vero quod ad locum Mi. 6, 6 ss. attinet, illic populus criminationes a propheta allatas ita repellere conatur, ut quidnam Deus ab ipso poscat interroget: num ampliora sacrificia, num millia arietum, num myriades rivorum olei, num filium natu maximum ad expiandum scelus? Nam quo majora dona, eo certius Deum sibi placatum iri sperant ut dominum, qui insatiabili quadam amplissimorum sacrificiorum cupiditate agitetur. Ita qui de Deo sentiunt, qui eum speciosis donis, magnifico sacrificiorum apparatu delectari putant pietatis quandam speciem præ se ferentes, revera a Deo alienati, de eo admonendi sunt, quod est in divinis præceptis potissimum, de vera voluntate divina, quam si neglexerint, quidquid offerunt, aversatur. Hujus voluntatis autem divinitus patefactæ summa in eo posita est²⁾, ut homines

1) Oehler, *Theol. d. A. T.* II, p. 152; Caspari, *Ueber Micha den Morasthiten u. seine prophet. Schrift* p. 291; S mend, *Studd. u. Krit.* 1876, p. 660.

2) cf. Dt. 10, 12, ubi et verbis et sententiis adeo congruentia leguntur, ut hunc locum prophetæ animo observatum esse appareat. Rectissime Klostermannus (*Neue Kirchl. Zeitschr.* III. p. 765) etiam opus historicum (Num. 10, 11—36, 13; Dt. 31, 14 ss.; 32—34), cui postea corpus legum Deuteronomiarum (5—26) insertum sit, prophetam cognitum habuisse inde apparere ait, quod ordo rerum gestarum, quas 6,5 ss. aequalibus in memoriam revocet, mirum in modum cum eo consentiat, qui illic inveniatur. Quemadmodum enim propheta canticum Mosis (Dt. 32) imitans (6, 1 ss.) Balaci, regis Moabitarum, Bileami beneficiorumque Jehovæ „a Sittim usque ad Gilgalem“ mentionem facit, ita in libro Numerorum ante illud canticum de Balaco et Bileamo (22—24), de Israelitarum in Sittim mansione (25, 1; 33, 49) et post illud in

recte faciant, amorem inter se exercean, submisse se coram Deo¹⁾ gerant (v. 8). Qua prophetae admonitione si quis sacra prorsus rejici ut a Dei voluntate aliena dixerit, Deuteronomii legibus, quibus illa disertissime praecipiantur, idem quod propheta aequales monet, iterum iterumque ut divinorum praeceptorum summam premi et loco Lev. 26, 41 s. populo perfidiae poenas luenti nullam aliam salutis viam ostendi consideret, quam ut cum dolore ex peccatorum recordatione concepto ad Deum ex animo se convertat²⁾.

Ambobus igitur quos tractavimus locis non id agunt prophetae, ut ipsa sacrificia impugnent tamquam a vero Dei cultu aliena, sed eorum sacra aversantur, qui a vera pietate vitaeque sanctitate remoti ipsis cerimoniis Deo satisfacere posse sibi videntur. Consentit cum Micha et Amoso Jesaja. Nam eum 1, 11 ss. ipsa sacra suffimentum dicere foedissimum³⁾, sermonis nexu habita ratione haud facile quispiam dixerit. An ex versu 15. colliges Deum ipsas quoque preces respuere et ab Israelitis muta, ut ita dicam, veneratione se coli velle? Neque preces aversantur neque ipsa sacrificia, sed eorum et preces et victimas, quorum mores a sua voluntate abhorrent. Qui Sodomitaram et Gomorrhyanorum similes sunt (v. 10), illi ne immolantes precesve ad ipsum accedant! Non vult אָרְן גְּעִצְרָה! Quae si prophetae sententia est, ne ex hoc quidem

Jes. 1, 11 ss.

libro Josuae de itinere a Sittim usque ad Gilgalem narratur, munita Israelitarum castra, unde expeditiones illae susceptae sunt, quibus in possessionem terrae promissae venerunt.

1) Prophetae aequales quantopere degenerarint non solum ab Israelitarum sed hominum more, allocutione אָרְם, qua utitur, docentur. Qui Israelitas se esse gloriantur: quid mortales coram Deo deceat, obliti sunt! Non est quod loco הגִּיר cum Wellhausenio (*Skizzen u. Vorarb.* H. 5 p. 144) legas הַגֵּר. Nam cum populus interrogaverit, quid Jehova ab ipso postulet: Jehovam subjectum esse verbi הגִּיר, facile intelligi potest. Illud הגִּיר autem ad divinae voluntatis promulgationem omnibus notam spectare apparet. Revera illis quae Jehovam pronunciasse Israelitis propheta dicit, decalogi praecepta tenentur (Koenig l. c. p. 346).

2) Bredenkamp l. c. p. 102.

3) Guthe, *Das Zukunftsbild des Jesaja* p. 18.

loco leges ad sacrificia spectantes eaque ad regulam dirigentes tum temporis nullas fuisse concludere licet. Immo fuisse versibus 11. 12. 13. haud dubiae significationes insunt ¹⁾. Et locum 19, 21 si respexeris, prophetam tantum abesse, ut sacra omnino aversetur, ut ea ad verum Dei cultum necessaria ducat, concedes.

Sed jam oritur quaestio subdifficilis. Si prophetae, si psalmoreum auctores eis quos tractavimus locis in immanentibus animi habitum divinae voluntati consentaneum requirunt eorumque qui illo destituti sunt sacrificia reprobant: cur in Pentateuchi legibus quae ad sacra facienda pertinent nulla illius habitus fit mentio, sed ipsis sacrificiis expiatio tribuitur? Quod interroganti respondere poteris, si qualis fuerit haec expiatio reputaveris. Spectabat illa quidem, ut cum auctore epistolae ad Hebraeos datae loquar, *πρὸς τὴν τῆς σαρχὸς καθάρωσιν* ²⁾ i. e. Israelitam ita lustrabat, ut civibus populi sui, cujus coetu indignus evaserat peccatis, rursus adnumeraretur ³⁾. Sed hac legitima lustratione effici non poterat, ut cum Deo in gratiam se rediisse confideret, nisi eum cum dolore ex peccatorum memoria concepto invocabat, ut sibi ignosceret. Quare psalmista *וּבַחֵי אֱלֹהִים* esse *וְרַחֵם נִשְׁבַּרְרָה* dicit atque persuasum habet, Deum sibi peccata profitenti veniam daturum animique pacem donatu-

1) cf. Dillmann, *Der Prophet Jesaja* p. 11. Nusquam in illis vaticiniis, quae consensu omnium Jesajae esse censentur, mentio fit legum, quas Israelitae per deserta migrantes divinitus acceperint. Sunt qui locum 24, 5 eo referant verba *בְּרִית עִלְמָם* de legibus antiquitus promulgatis dicta esse existimantes. Sed errant, cum v. *הָאָרֶץ* 24, 1 non Israelitarum terra (Gesenius, Drechsler, Knobel, Koehler), sed terrarum orbis (Ewald, Hofmann, Dillmann) significetur, cui propheta divinum iudicium minatur. Neque tamen, cum nulla legum illarum fiat mentio, concludere licet, prophetam nihil de eis scivisse. An ex eo quod populi Israelitici in Aegypto perpressiones ejusque liberationem commemorat, Mosis autem — locum 63, 11. 12 si exceperis — nusquam meminit, ei vindicem libertatis ignotum fuisse colliges? Cf. Koehler i librum II, 2 p. 180.

2) Hebr. 9, 12.

3) Hofmann, *Schriftb.* II, 1 p. 215 s.; Delitzsch, *Hebräerbr.* p. 397.

rum ¹⁾. Jam vero perquam facile fieri poterat, ut vulgus in sacrificiis lege praescriptis acquiesceret iisque oblati Deo satisfecisse et peccatorum veniam impetrasse sibi videretur. Idque evenisse prophetarum de quibus egimus verba demonstrant ne in ipsis quibus operentur sacris fiduciam collocent aequales iterum iterumque monentium.

Jer. 7, 21 ss.

Sed transeamus ad locum Jerem. 7, 21 ss., quo quoniam negetur Jehovam Mosis aetate quidquam de sacrificiis offerendis praecepisse, haud pauci concluserunt prophetam de legibus, quas Moses quo tempore Israelitae ex Aegypto exierint de sacris faciendis dedisse dicatur, nihil scivisse ²⁾. Contradixere alii justis de causis huic interpretationi ad librum foederis (Ex. 20—23) et Deuteronomii provocantes, in quibus leges de sacrificiis contineantur, quae ad Mosaicam aetatem referantur et prophetae notae fuerint probataeque. Iidem nixi locis Jer. 17, 26; 19, 4; 33, 11. 18 id premunt Jeremiam sacrificia duxisse venerationem gratam Deo et acceptam neque unquam interituram. Igitur eum sibi ipsi contradicturum fuisse, si Deum quidquam de sacrificiis offerendis Israelitis praecepisse omnino negasset ³⁾.

Sunt qui difficultati ita mederi velint, ut prophetam verbis ביום הוציאתי diem quo Israelitae mare rubrum nondum transierint significari dicant. Nam illo die Deum nihil dum de sacris offerendis imperasse, sed id unum populum monuisse ut sibi oboediret ⁴⁾. At si respexeris locos 11, 4; 31, 31, ubi Jeremia foedus ad montem Sinaiticum ictum et 34, 13, ubi legem ibidem (Ex. 21, 2) et ad

1) Ps. 51, 19.

2) Vatke (*Theol.* p. 220), Hitzig, Graf (*Gesch. Bücher* p. 70; *Prophet Jerem.* p. 122 s.), Duhm (*Theol. der Propheten* p. 12. 232. 237), Wellhausen (l. c. p. 61. 417. 422), Koenig (*Offenbarungsbegr. d. A. T.* I, p. 164 s., II, 329), Kuenen (*Einkl.* p. 169).

3) Bredenkamp, Orelli, Koehler (l. c. II, 2 p. 26), Finsler (*Darstellung u. Kritik d. Ansicht Wellhausens* u. s. f. p. 72), Schumann (*Die Wellhausen'sche Pentateuchtheorie* p. 81), alii.

4) Kleinert (*Das Deuteronomium u. d. Deuteronomiker* p. 90).

Jordanum quoque flumen datam (Dt. 15, 2) commemorans illis verbis utitur ¹⁾, eis non spatium illud circumscriptum, sed omnino tempus denotari concedes, quo Israelitae ex Aegypto egressi in terram promissam migrarunt. Alii ita rem expedire conantur, ut duas legum dationes statuunt ²⁾. Priorem quae decalogum complexa sit nihil de holocaustis victimisque praescripsisse; alterius quae ad sacra pertinuerit causam vituli aurei adorationem fuisse, qua commotus Deus necessarium duxerit, certa de sacris faciendis praecepta dare, quibus defectionem populi praecaveret. Sed haec opinio non solum ab ipsis prophetae verbis, quibus nulla significatio inest eum duas legum dationes inter se opponere, sed etiam a rerum quae apud montem Sinaiticum actae sunt ordine aliena est, cum vituli adorationem leges et de aedificanda in qua victimae immolandae sint ara et de quotidianis sacrificiis tempore matutino et vespertino offerendis antecesserint. *Ewaldi* ³⁾ quoque sententia prophetae animo voluntaria tantum et splendida sacrificia quae in Pentateucho non praecipiantur observari dicentis improbanda est, cum ille de sacrificiis universe et generatim loquatur. Aliorum denique opinionem qui monent, cum Lev. 1, 2 et alias legatur: Si sacrificia offerre vultis etc., apparere, illa non imperata, sed singulorum arbitrio permissa fuisse, non est quod pluribus refellamus verbis.

Probabilior eorum sententia videtur qui arbitrantur prophetam superlatione quadam usum quod neget non simpliciter sed comparate negare, Deum non tam hoc quam illud i. e. non tam sacrificia quam obsequium postulasse dicentem ⁴⁾. Quam tollendae difficultatis viam ingrederemur

1) cf. Graf (*Der Proph. Jerem.* p. 122).

2) Sic jam Hieronymus eumque secuti et antiquioris et recentioris aetatis interpretes.

3) *Die Propheten des alten Bundes* II, p. 132.

4) W. Lowth (*A commentary upon the prophecy and lamentations of Jeremiah*, London 1718, p. 77), Curtiss (*The levitical Priests* p. 134), Marti (l. c. p. 321), Koehler (l. c.), Orelli, Schumann (l. c.), Oehler (l. c. II p. 152), alii.

et ipsi, si alia non esset. Quod exploraturi ante omnia sententiarum nexum et ipsa prophetae verba ante oculos nobis ponamus!

Deus postquam prophetam pro populo suo preces fundere vetuit, ut qui ipsi molestiam exhibeat aliorum deorum veneratione poenamque meruerit: ‚Addite, inquit, holocausta ad sacrificia vestra et edite carnem.‘ Major pars eorum sacrificiorum, quae ובהים appellabantur, epulis sacrificialibus comedi solebat. Jam si ad haec holocausta quoque, quae tota in ara incendebantur, addere et una cum illis comedere jubentur, indignatio comparet, qua Deus sacra eorum aversatur. Adeo odiosa ei sunt, ut etiam holocausta eos comedere nihil moretur. ‚Non enim — inquit — locutus sum cum patribus vestris neque praecepi eis, quo die eos ex Aegypto eduxi, על-דבריי עולה ויבה, sed hoc eis praecepi: Audite vocem meam et ero vobis Deus et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.‘ Locos Ex. 19, 5; Dt. 5, 30 (28, 14) comparanti non dubium erit, quin eis, quae Deus imperasse patribus dicitur, primae leges atque conditiones significantur, quas societatem cum eis initurus tulit. Legum autem illarum cardo nulla alia in re versabatur, quam in obsequio, quo Deum prosequi jubebantur, siquidem populus ejus peculiaris esse vellent. Non sacrificia loquendi cum patribus eisque praecepiendi causa erant atque materies, sed obsequium, quo necessitudo Deum inter et populum futura ut suo fundamento niteretur. Observandum est, prophetam non scribere על (quod attinet ad), sed על-דבריי, qua praepositione causa alicujus rei significatur¹⁾. Cf. apud ipsum Jeremiam 14, 1, ubi Deum ad prophetam verba fecisse legimus על-דבריי הַבְּצָרוֹת i. e. propter siccitates; Dt. 4, 21, ubi Moses Deum sibi

1) Ita Smend, Bredenkamp, Orelli, Baudissin (cf. *Theol. Literaturzeitung* 1877, Nr. 13 p. 347), alii.

succensuisse ait על-דבריכם i. e. vestra causa¹⁾; Ps. 7, 1, ubi composuisse Davides hoc carmen dicitur propter (על-דברי) Cuschum Benjaminitam. Idem significat על-דבר, ubicunque invenitur, et על-דבר אשר (*in Anlass dessen, dass*). Quod si ita sese habet, non est quod difficultati ita medeamur, ut prophetam superlatione usum esse dicamus. Populum hortaturus, ne, postquam ad aliorum deorum cultum declinavit, Jehovahae gratiam sacrificiis reconciliari posse opinetur, tempus illud, quo patres in populi sui nomen adscivit, in memoriam ei reducit. Tunc enim causam cum patribus loquendi eisque praecepta tradendi non sacrificia attulerunt, sed obsequium ab eis praestandum. Nam ita verba fecit, ut eos sibi obtemperare et vitae viam a se praescriptam sequi juberet. Quae si totius loci sententia est, Jeremia aequales idem monet, quod eos monere Amosum, Micham, Jesajam nobis persuasimus: ne in conficiendis sacris cerimoniisque acquiescant verae pietatis atque obsequii, quod rem causamque contineat, expertes. Jeremia autem hoc obsequii praecepto omnes leges teneri dicens ad ipsam legum dationem Sinaiticam provocat. Et rectissime id quidem. Nam populo ex Aegypto egresso oboedientiam inculcare Deo antiquissima cura erat. Quam oboedientiam se praestaturum postquam promisit, praecepta data sunt de sacrificiis, quae non tunc demum introducebantur sed antiquitus usu recepta ad divinae voluntatis normam dirigebantur.

Jam vero si prophetae cogitationem assecuti sumus Deum non ea mente locutum esse cum patribus dicentis, ut sibi immolarent, sed obsequium postulasse: num verba ejus probant, eum nihil scivisse de legibus quas Moses deo auctore de sacrificiis dederit, immo existimasse, ab Jehovahae

1) Horum locorum nec non omnium illorum, ubi על-דבר invenitur (cf. *Jahrb. f. prot. Theol.* VI, p. 318 s.), habita ratione miror Koenigium (l. c. II, p. 329 s.) dicere, veram significationem esse *in Betreff von*. Idem si verba ‚non locutus sum cum patribus vestris neque praecepi eis‘ per se requirere objectum loquendi vel praeciendi contendit, ad locum 1 Sam. 18, 5

voluntate foederis legibus expressa abhorrere ¹⁾, omnia de sacris faciendis praecepta? Rectissime S m e n d i u s ²⁾ Jeremiae verba magis confirmare quam refellere ait leges ad Jehovae cultum pertinentes illo tempore Mosi inventori adscriptas esse neque ipsum prophetam negare ejusmodi leges a Jehova profectas esse, cum quaenam vera omnium legum voluntas sit, moneat.

Loci igitur de quibus hucusque disputavimus tantum abest ut probent prophetarum qui ante exsilio Babylonici tempora fuerunt aetate leges ad sacra spectantes quales Pentateuchus exhibeat nullas fuisse, ut valuisse ejusmodi praecepta, si non declarent, tamen non morentur.

Hos. 8, 11.

Magna nostris diebus exorta de loco Hos. 8, 11 controversia est, quo nixi prophetam leges literis consignatas, quales de cultu divino in Pentateucho contineantur, cognitatas habuisse alii affirmant alii negant. Et Wellhausen ³⁾ quidem infelici quodam casu illi loco contigisse ait, ut fuisse tales leges produceretur testis.

Quod ad argumentum capitis octavi vaticiniorum Hoseae attinet: minas jaetat propheta contra domum Jeho-

provoco, ubi eadem quae nostro loco verborum conformatio invenitur. Propheta si dicere voluisset, Deum non postulasse immolationem, sed obsequium (*nicht Opferdarbringung, sondern Gehorsam ist von mir einstmals gefordert worden*): quidni simpliciter scripsit על-עולה וזבח (cf. Num. 8, 22: צִוְּהָה אֶת-מֹשֶׁה עַל- צִוְּהָה ה' אֶת-מֹשֶׁה עַל- (ה'לויים)?

1) Ita Guthe, De foederis notione Jeremiana p. 23. Idem si priore v. 22. enunciatione prophetam negare ait, Jahven foedus offerentem mandata edidisse propter sacrificia cujusvis generis, altera enunciatione affirmare, illum postulasse oboedientiam et obsequium circa quodvis praeceptum exceptis de sacerorum oblatione mandatis: hanc sententiam e prophetae verbis elici posse concederem, si verba על-דברי vertenda forent praepositione, de. Quod autem addit, ubicunque illa verba in V. T. legantur, causam ea non significare, nisi ita ut denotent rem quae jam adsit et causam alicui afferat: nostrae interpretationi non repugnat, cum fuisse sacra ante Mosis tempora non infitiamur. Postquam antiquitas in usu fuerunt, lege Mosaica sancita sunt. Neque tamen ansam Deo praebuerunt ad praeciipiendum. Immo vero omnis praeceptio divina proficiscatur a postulando obsequio.

2) l. c. p. 34 not.

3) Proleg. p. 60.

vae⁴, quae summum bonum repudiavit, a lege divina describitur, ad suum arbitrium reges constituerit, divitiis ad imaginum cultum usa sit (v. 4—7.). Ut sementem fecerunt, ita metent. Jam ad summam infirmitatem delapsi in contemptionem gentibus venerunt, quarum gratiam captant salutem petentes. Nam ad Assyrios migrarunt amicitiam eorum conciliaturi. Neque tamen quidquam proficient. Nam Jehova gentes contra eos congregabit supplicium sumpturus (v. 8—10)¹). Cujus supplicii causam propheta inde repetit, quod multas Ephraim fecerit aras ad peccandum (v. 11). Qua autem in re peccare voluerint, v. 13. docemur. Si enim — id quod ex prophetae verbis patet — sacrificiis divinam gratiam impetrare auebant, eum non aliorum deorum venerationem²), sed imaginum cultum³) dicere apparet. Neque tamen solum quod aris ad adorandas imagines usi sunt, peccaverunt, verum etiam quod non contenti una quam Deus sibi fieri voluit ara multas extruxerunt. Nam hoc quoque prophetam exprobrare, verbum הַרְבֵּה cum vi quadam primo enunciati loco positum⁴) ostendit. Jam si propheta, postquam aras Ephraimitis instrumenta peccandi fuisse dixit, Deum ita loquentem facit: אֶכְתִּיב לְךָ יְיָ: voci הַזְכָּרָה quae subjicienda sententia sit, non dubium erit. Neque enim ad praecepta de moribus⁵) referri poterit, sed ad leges quae ad cultum⁶) spectant. Illud qui statuunt, Deum Ephraimitas increpare dicunt, quod immolent sibi magis quam praecepta sua observent. Sed huic interpretationi cum totius sermonis nexus obstat, tum versus undecimi argumentum. Quo cum Ephraimitae ob ararum multitudinem et perversum usum vituperentur, fieri non potest quin leges, quas ab eis

1) *Zeitschr. f. Protest. u. Kirche* XXVIII, p. III s.

2) Smend (l. c. p. 16), Keil, Koenig (l. c. II, p. 329), alii.

3) Koehler l. c., alii.

4) Koehler l. c. II, 2 p. 24, Orelli.

5) Nowack (*Der Prophet Hosea* p. 153), Wellhausen, alii.

6) Koehler l. c., Orelli, Bredenkamp (l. c. p. 38 s.).

usque deque haberi Deus v. 12. queritur, ad cerimonias pertineant. Ad singula autem hujus versus quod attinet, observandum est prophetam scripsisse כָּתַב, non עָל כָּתַב. Illud est consignare litteris, hoc praescribere alicui aliquid. Quare non licet vertere ¹⁾: ‚Ich schreibe ihm Zehntausende meines Gesetzes vor.‘ Sed eorum quoque interpretatio improbanda, qui vertunt: ‚Consignavi ei sexcenties doctrinam meam‘, quia exhiberet veri superlationem haud ferendam. Habes eandem verborum conformationem omissa conditionis vel concessionis ²⁾ particula quam Ps. 139, 18 (cf. Jes. 26, 10). Quemadmodum illic vertendum est: ‚Si numerare vellem (cogitationes tuas), numero arenam superarent‘, ita hoc nostro loco: ‚Etiamsi sexcenties ei litteris consignarem praecepta mea (רַבּוֹ הַזְּרָתִי) — non pluris aestimantur, quam si res aliqua aliena essent quae nihil ad eum pertineret.‘ Quod ad verba רַבּוֹ הַזְּרָתִי attinet, non est quod lectionem mutes et הַזְּרָתִי ³⁾ vel loco רַבּוֹ scribas רַבְּרִי ⁴⁾. Omnis tolletur diffi-

1) Keil, alii; cf. Wellhausenii versionem: ‚Mag ich ihm noch so viele meiner Weisungen vorschreiben.‘ Keilius in eo quoque errat, quod imperfectum אִכְתָּוּב in praesentis quod dicitur historici partem accipit et rem ante factam tempore praesentis permanentem denotari contendit. Nam Hebraeorum imperfecto nusquam haec notio subjecta est. Improbanda et Bredenkampii aliorumque sententia, qui imperfecto propter orationis alacritatem praeterita ut praesentia depingi dicunt. Denique illi quoque errare videntur, qui prophetam imperfecto propterea uti contendunt, quod legum datio non universa simul, sed paulatim temporum decursu facta sit (Nowack p. 152). Nam si hoc propheta dicere voluisset, non verbo scribendi, sed verbo dandi vel pronunciandi usus esset (Koenig l. c. p. 345). Recte Koenigius imperfectum אִכְתָּוּב postulare ait, ut formam enunciati conditionalem statuamus.

2) Formam enunciati conditionalem, quam imperfecti אִכְתָּוּב usu requiri jam diximus, statuerunt Hieronymus, Abarbanel, Luther, Wellhausen, Orelli, Scholz (*Comm. zu Hosea* p. 108), Koehler, Koenig, Hitzigius et Ewaldus (cf. Duhm l. c. p. 131), qui idem sentiunt, Hoseam rem nunquam factam animo sibi effinxisse contendunt Israelitas, etsi millia legum Deus praescriberet, tamen obsequium recusaturus dicentem. Sed huic interpretationi sententia subesset haud ferenda, homines, quo pluribus legibus coercerentur, eo oboedientiores fore.

3) Ita Hitzig; Wellhausen: רַבּ הַזְּרָתִי (*Skizzen u. Vorarb.* H. 5, p. 119).

4) Graetz (*Gesch.* II, 1 p. 470). — De numero plurali verbi נִחְשְׁבָר ad nomen collectivum תִּרְרָה referendo cf. Ps. 119, 103; Hag. 2, 7 et Ewaldi librum: *Ausf. Lehrb. der hebr. Spr.* p. 782.

cultas, si הַרְרָהִי non in genetivi partem acceperis sed accusativi cum verbo conjungendi, רַבִּי autem pro numero qui dicitur multiplicativo ¹⁾ habueris (cf. Gen. 4, 24 שְׁבַעִים septuagies septies; Lev. 26, 21. 24; Prov. 24, 16; Ps. 119, 164 שְׁבַע septies; Hi. 40, 5 אַחַת semel; שְׁתַּיִם bis). Jam si Deus nihil se profecturum queritur vel decies millies doctrinam suam litteris consignantem: nonne efficitur, eum iterum iterumque ea praecepta litteris mandanda curasse, quae Ephraimitae eis, propter quae in prophetae vituperationem veniunt, violaverunt; fuisse igitur illa aetate leges divina auctoritate praeditas easque litteris perscriptas, quae qua ratione colendus Deus esset, praecipiebant, complures aras fieri, imagines adorari vetabant ²⁾? Vix credo quemquam, qui sine praepudicata opinione prophetae verba perlegerit, aliter judicaturum. Jam cum ejusmodi leges in ‚libro foederis‘, in libro Levitici, Deuteronomii contineantur, haec legum corpora prophetam cognita habuisse facere non possumus quin concludamus. Si denique prophetam non cum civibus regni Judaici sed Israelitici ³⁾ sermonem habere consideraveris, eas quas oratione sua designat leges jam ante illud tempus, quo imperium a Davide et Salomone regibus conditum in duo regna discessit, valuisse necesse est. Nam post hoc divortium in regno Israelitico leges ad mores ac caerimonias spectantes in lucem prodiisse memoriae non proditum; leges vero in regno Judae ortas ab Ephraimitis receptas eamque apud eos auctoritatem nactas esse, quam illi ‚thorae‘ fuisse Hoseae verba docent, ratione habita simultatis inter duo illa regna intercedentis quis est qui opinetur? Utrum illae leges, si ante illud tempus, quo regnum Davidis in duo scindebatur, fuerunt, jam in eam formam redactae

1) Koehler (l. c. p. 25). Ad formam רַבִּי cf. Jon. 4, 11; 1 Chr 29, 7 et ad usum hujus numeri ad significandam magnam multitudinem locos Ps. 3, 7; Dt. 33, 17; Gen. 24, 60 (Nowack l. c. p. 152).

2) Bredenkamp, Koehler, Orelli, alii.

3) Kleinert l. c. p. 95 s.

fuerint, qualem nunc habent, nec ne, hoc loco non anquirimus.

Ut in interpretando loco Hoseano prorsus cum K o e h l e r o facimus, ita S m e n d i i opinionem improbamus verba prophetae probare quidem dicentis, multas leges scriptas octavo saeculo fuisse sive uno sive pluribus libris comprehensas, sed ex hoc ipso quod plura legum corpora fuerint, apparere, tum nondum valuisse praeceptionem certam atque constantem, immo vero quod nomine doctrinae divinae (הוררה) significatum fuerit, fluxum et mutabile fuisse prophetasque moribus majorum magis quam legibus scriptis nisos esse¹⁾. Id ipsum, quod S m e n d i u s negat, prophetae verba testari videntur, fuisse certas leges, divina auctoritate praeditas, utpote Deo auctore identidem litteris consignatas, הוררה appellatas. Quae leges quid praescripserint, diximus. Idem quod הוררה v. 12., etiam v. 1. ejusdem capituli significat, ubi aquilae instar hostis imminere populo dicitur, propterea quod עברה בריח רגו. Quem locum si S m e n d i u s ita interpretatur, ut ‚grave malum‘ Jehovam Israelitis minari dicat, ‚quia foedus suum violaverint et thoram suam recusaverint‘, vocabulo בריח foedus denotari vehementer dubito. Vera atque propria vocabuli significatio nulla alia est quam constitutio, *ὁμοίωσις* (*Verordnung, Festsetzung*²⁾), neque est quod ab ea discedas. ‚Migrarunt, inquit propheta, constitutionem meam et doctrinam meam violaverunt‘. Nos recte facere vocabulo hanc vim vindicantes, ex loco 6, 7 patet: Hos. 6, 7. רהמה כארם רגו. Quae verba si nihil aliud dicerent, quam Israelitas instar hominum esse, qui foedus ruperunt, i. e. perjuros: quod deliquerunt, languidius propheta exprimere

Hos. 8, 1.

Hos. 6, 7.

1) Moses apud prophetas p. 13 s. 20; *Theol. Stud. u. Kritik*. 1876, p. 640.

2) Hanc esse veram ac propriam significationem, theologorum nostrae aetatis Hofmannus demonstravit primus in *Weiss. u. Erf.* I, 138; *Schriftbew.* I, 414 ss.; cf. Gesenius, *Hebr. u. aram. HW. zum AT.* s. v. בריח; Friedr. Delitzsch, *The hebrew language viewed in the light of assyr. research* (London 1883) p. 49 s.

non potuisset ¹⁾. Nunquam hoc ex loco sententiam satis bonam elicies, nisi vocabulo ברירה eam quam supra statuimus significationem vindicaveris et per ארם hominum primum ²⁾ designari concesseris. Etenim in eo sita est verborum prophetae vis ac pondus, quod populares ejus peccati postulat, quod non comparari possit nisi delicto Adami. Utrique enim quam Deus eis declaravit voluntatem violaverunt. Hoc quoque loco non dubium est quin propheta ad certam praecptionem provocet divinitus sancitam, quae quo pertinuerit, ex eo patet quod Israelitis imaginum qui Bethelae viguit cultus exprobratur. Imaginibus cultum tribuentes quod divina lege vetantur fecerunt.

Etiā locus 4, 6 huc referendus, ubi propheta: „Deletur, inquit, populus meus, quia expers est cognitionis: nam tu cognitionem repudiasti; quare te repudiabo, ita ut non amplius sis sacerdos mihi; et quia oblitus es חררה אלהיך, obliviscar natorum tuorum ego quoque“. Sunt qui his verbis Jehovam in sacerdotes ³⁾ invehi eisque crimini dare dicant, quod populus interiturus sit ut divinae voluntatis destitutus cognitione, quam illi pervulgare debeant, sed contemnant divinae legis obliti. Quare Deum eos sacerdotii munere remoturum. Quam interpretationem prophetae sententiam assequi pernego, propterea potissimum, quod versu sexto Jehovam sacerdotes adloqui non adduci possum ut credam. Nam sacerdotum ante versum nonum nulla fit mentio. Totum igitur populum ⁴⁾ Deum adloqui et verbum פִּירָן ad totius populi sacerdotium pertinere contendo. Hoc sacerdotio donati Israelitae sunt, quo tempore in populi divini nomen adsciscebantur (Ex. 19, 6). Tunc enim Deus eos sibi

Hos. 4, 6.

1) Nowack l. c. p. 114.

2) Sic jam Hieronymus: „Imitati sunt Adam, ut, quod ille in Paradiso fecerat pactum meum legemque praeteriens, isti in terra facerent“; Keil, Koehler, alii.

3) Maurer, Rosenmueller, Ewald, Nowack, Wellhausen (*Skizzen u. Vorarb.* H. 5, p. 108), alii.

4) Hitzig, Umbreit, Simson, Keil, Koehler, alii.

,regnum sacerdotum' et ,gentem sacram' i. e. sibi regi regnum fore dixit, quod ex sacerdotibus constet, et gentem, cujus singuli cives sacerdotum instar sint ¹⁾. Vides ,regnum sacerdotum' idem significare quod ,gentem sacram': illam dignitatem dico, qua Israel ornatus est ut populus Dei peculiaris et intercessoris partes Deum inter ceterasque gentes agens. Hac autem dignitate eum jam exutum iri propheta minatur, quod Dei cognitionis quam habere debeat expers ,institutionem' ejus oblitus sit. Jam si prophetae non cum sacerdotibus solum sed cum toto populo rem esse recte diximus, hanc ,institutionem' (תּוֹרַת אֱלֹהִים) ad totum populum pertinuisse eandemque fuisse eandemque praecepta complexam esse concesseris atque illam, de qua ut litteris consignata 8, 12 legimus.

Facere non possum quin hoc loco de vocabuli תּוֹרַה in veteris testamenti libris usu nonnulla adnotem. Et primum quidem non dubium est quin ea vocabuli significatio in qua natum est sit praeceptum (*Weisung*), quo quis, quid ei faciendum, quid vitandum sit, docetur, seu ab hominibus, veluti parentibus ²⁾ proficiscens seu divinitus per prophetas ³⁾ eis, ad quos sua quisque aetate verba faciunt, traditum. Deinde cum ad omnia transfertur, quae Deus temporum decursu cum Israelitis communicavit, et praecepta et promissa ⁴⁾, tum ad divinam legem populo Israelitico e terra Aegyptiorum egresso datam, et universam ⁵⁾ et singula ejus decreta ⁶⁾, quae תּוֹרַה ⁷⁾ appellantur. Ut igitur v. תּוֹרַה praecepta et sacerdotum et prophetarum viva voce tradita significari non infitiamur, ita divinam quoque institutionem ex certis legibus constantem litterisque consignatam de-

1) Hofmann, *Die h. Schrift neuen Testaments zusammenhängend untersucht* VII, 1 p. 73 s.

2) Pr. 1, 8; 3, 1; 4, 2; 7, 2; cf. Koenig l. c. p. 343.

3) Jes. 1, 10; 8, 16, 20; 42, 4, 21.

4) Ps. 19, 8; Jes. 5, 24.

5) Jos. 1, 8; 8, 34; 2 Reg. 22, 8, 11; Neh. 8, 3.

6) Lev. 6, 7; 7, 7.

7) Ex. 18, 20; Lev. 25, 46.

signari tenemus ¹⁾. Hanc significationem הורה habet Hoseae quos tractavimus locis nec non Am. 2, 4, ubi v. חקים Am. 2, 4. addito prophetam certas ac definitas leges dicere confirmatur.

Sed ut unde digressi sumus, eo revertamur: Hoseam de sacrificiis idem statuisse quod Amosum, Micham, Jesajam, testatur locus 6, 6, ubi Deus se pietatem velle, non sacrificia asseverat ac Dei cognitionem magis quam holocausta. Priore quidem hujus versus parte Deum velle sacrificia prorsus negari videtur; sed negatio ילא quomodo intelligenda et temperanda sit ²⁾, altera parte docemur, ubi in locum ejus succedit praepositio ין, cujus usu qui dicitur comparativo Dei cognitio collatione holocaustorum magis grata atque accepta declaratur. Jam si haec est sententia, Deum pietate magis delectari quam immolatione et sui cognitione magis quam sacrificiis, idem de his statui cernis quod I. Sam. 15, 22, ubi immolationem cum divinae voluntatis obsequio comparatam hoc inferiorem dici vidimus. Igitur Hosea quoque sacra non prorsus respuit sed immolantis ad Deum voluntate propensa metitur. Eum revera ritus sacrificos non aversari sed ad veram Dei venerationem referre, ex loco 9, 1 ss. apparet, ubi Israelitas Hos. 9, 1 ss. hortatur, ne gaudio exsultent: nam dies venturos, quibus Deo neque libare neque sacra facere possint grata atque accepta, utpote in solo profano offerenda ³⁾. Nam patria extorres et ad profanas gentes ablegatos sacrificia, quae offerre velint, propter eorum immunditiam (non epulis sacerdotalibus sed) ad sedandam famem comesturos. Num propheta haec scribere potuit, si nihil scivisset de legitima et Deo accepta immolatione ⁴⁾?

1) ספר הורה; cf. Delitzsch, *Neuer Comm. üb. d. Genes.* p. 9.

2) *Martil. c.* p. 309 ss.

3) Recte Keilius ad h. l.: *Seinem Gott opfern kann Israel nur da, wo er durch Offenbarung seinen Namen kundthut; nicht im Exile, wo er seine Gnadengegenwart demselben entzogen hat.*

4) Recte Orellius hunc locum documento esse ait, quantopere etiam prophetae animus sacrificiationi adhaeserit.

Verum haec quidem hactenus. Sunt et alii qui huc pertinent prophetarum loci. Sed eos alias persequemur. Ut paucis eorum quae disputavimus summam complectamur: demonstrasse nobis videmur, Hoseam, Amosum, Micham, Jesajam, Jeremiam sacrificia non repudiare ut a vera Dei veneratione aliena, sed meras dumtaxat inanesque illorum aversari cerimonias, qui sinceræ pietatis expertes ipsis sacris Deo satisfacere ejusque gratiam conciliare posse sibi videntur. Igitur metiri hos prophetas aequè ac psalmorum auctores sacra offerentis voluntate ad Deum propensa. Porro eos certas et definitas novisse leges nobis persuasimus, quales in Pentateucho continentur, litteris consignatas, ad mores ritusque sacrificos pertinentes, divina auctoritate praeditas. Quo disputationis nostræ exitu non novi quidpiam nobis protulisse videmur. Fuerunt qui idem contenderent et argumentis confirmarent. Sed cum usque inveniantur, qui contraria dicant, rem gravissimam denuo pertractare haud ab re duxi. Si res ita sese habet, ut diximus: neque corpus legum Deuteronomicarum Josiae demum aetate ortum neque codex qui dicitur sacerdotalis Esrae et Nehemiae temporibus in lucem prolatus est, immo uterque liber multo ante fuit. Qui, quod nos negamus, affirmant, tam confidenter loquuntur victoriam conclamantes ¹⁾, ut eum, qui in contrariam partem disputare conetur, oleum et operam perdere credas. Sed non est quod veluti dijudicata jam lite arma ponamus. Neque enim solum prophetarum quos appellavimus scripta auxilio nobis sunt, sed etiam alia argumenta eaque gravissima atque validissima, quae legum illos codices ad ea tempora detrudi vetant, quibus, qui hodie Reussii et Grafii vestigia persequentes criticam artem exercent, eos ortos esse contendunt. Verum quidem hac super re alias.

1) Cornill, *Einl. in d. AT.* p. 66. 68.